

1 **Oratio sacra Summi Pontificis Benedicti XVI . primam missam pontificalem cum**  
2 **Eminentissimis Cardinalibus celebrantis in Capella Sixtina praedicata**

3 Venerabiles Fratres Nostri,  
4 dilectissimi Fratres ac Sorores in Christo,  
5 vos universi homines bonae voluntatis!

6 1. Gratia copiosa et pax vobis! (cfr 1 Pt 1,2). Duo animum Nostrum discordes sensus hoc  
7 tempore una simul subeunt. Nam ex una parte humano turbamento perfundimur et  
8 impares Nos sentimus officio hesterno die Nobis commisso, Successoribus scilicet Petri  
9 Apostoli hac in Romana Sede, coram universali Ecclesia. Ex altera autem parte  
10 magnopere animum gratum esse Deo patefaciendum animadvertimus, qui - sicut in sacra  
11 liturgia canimus - gregem suum non deserit sed eundem per temporum vices ducit, iis  
12 agentibus quos ipse Filii sui vicarios elegit constituitque pastores (cfr Praefatio I de  
13 Apostolis).

14  
15 Dilectissimi, intimus animi grati sensus propter divinae misericordiae donum in corde  
16 Nostro praeter omnia antistat. Et id arbitramur gratiam esse peculiarem, quam Decessor  
17 Noster, recolendae memoriae, Ioannes Paulus Secundus Nobis tribuit. Eius videmur  
18 firmam persentire manum, quae Nostram perstringit; subridentes Nobis videmur eius  
19 oculos contueri eiusque verba audire, Nobis peculiari hoc momento destinata: "Noli  
20 timere!".

21  
22 Summi Pontificis Ioannis Pauli Secundi obitus, et subsequentes dies, pro Ecclesia  
23 mundoque insigne fuerunt gratiae tempus. Magnus dolor ob eius excessum et vacui  
24 sensus in omnibus relictus Christi resuscitati opera extenuantur, quae per concordem  
25 fidei, amoris et spiritualis solidaritatis effusionem, exsequiarum sollemnium attingentis  
26 fastigium, diuturno hoc tempore est patefacta.

27  
28 Id quidem dicere possumus: Ioannis Pauli Secundi funus experientia fuit revera unica ubi  
29 quodammodo potentiae Dei percepta est per ipsius Ecclesiam quae cunctos populos  
30 magnam familiam efficere vult, per coniungentem virtutem Veritatis atque Amoris (cfr  
31 *Lumen Gentium*, 1). Mortis hora, suo Magistro Dominoque figuratus, Ioannes Paulus  
32 Secundus suum diuturnum frugiferumque Pontificatum extulit, in fide christianum  
33 populum confirmans, eundem circum se congregans atque efficiens ut universa hominum  
34 familia coniunctiorem se esse sentiret.

35  
36 Nonne hac testificatione Nos sustentari sentimus? Nonne incitamentum, quod ex eventu  
37 hoc manat, animadvertimus?

38 2. Omnem Nostram praeveniens expectationem, Providentia divina per Venerabilium  
39 Patrum Cardinalium suffragia Nos, ut huic magno Pontifici succederemus, vocavit. Hoc  
40 tempore mentem Nostram ad id convertimus quod abhinc duo milia annorum in partibus  
41 accidit Caesareae Philippi. Petri verba audire videmur: "*Tu es Christus, Filius Dei vivi*"  
42 itemque Domini sollemnem confirmationem: "*Tu es Petrus, et super hanc petram*  
43 *aedificabo Ecclesiam meam ... Tibi dabo claves regni caelorum*" (Mt 16, 15-19).

44 Tu es Christus! Tu es Petrus! Eandem evangelicam scaenam rursus experiri videmur; Nos  
45 Petri Successores, trepidantes Galilaeae piscatoris trepidantia verba iteramus atque  
46 intima quadam animi affectione roborantem divini Magistri promissionem rursus  
47 audimus. Si permagnum est muneris onus, quod debilibus umeris Nostris imponitur,  
48 procul dubio immensa est divina potentia qua inniti possumus: "*Tu es Petrus et super*  
49 *hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*" (Mt 16,18). Romae Episcopum Nos eligens,  
50 suum Vicarium Nos voluit Dominus, "petram" Nos voluit, in qua securi omnes sistere  
51 possint. Eum nimirum rogamus ut Nostrarum virium egestati subveniat, ut animosi simus  
52 et fideles eius gregis Pastores, usque Spiritui inspiranti obsequentes.

1 Hoc peculiare ministerium sumus ingressuri, ministerium scilicet 'petrinum', universali  
2 Ecclesiae destinatum, humiliter Dei Providentiae manibus Nos permittentes. Ante omnia  
3 Christo Nostram totam fidentemque adhaesionem renovamus: "*In Te, Domine, speravi;*  
4 *non confundar in aeternum!*".

5 Ex vobis, Venerabiles Cardinales Fratres, grato animo ob Nobis significatam fiduciam  
6 quaerimus ut Nos precatione necnon constanti, actuosa prudentique cooperatione  
7 sustentetis. Ab omnibus quoque in Episcopatu Fratribus flagitamus ut precatione et  
8 consilio Nobis adsint, ut *Servus servorum Dei* vere simus. Quemadmodum Petrus  
9 ceterique Apostoli Domini voluntate unum efformarunt Collegium apostolicum, eodem  
10 quidem modo Petri Successor et Episcopi, Apostolorum successores, - id Concilium  
11 firmiter confirmavit (cfr *Lumen gentium*, 22) -, inter se arte coniuncti esse debent.  
12 Collegialis haec communio, licet diversa sint munera officiaque Romani Pontificis et  
13 Episcoporum, Ecclesiae et unitati in fide omnium credentium inservit, unde maximam  
14 partem pendet in huius temporis mundo evangelizationis operae efficacitas. Hanc  
15 eandem semitam, in qua Venerabiles Decessores Nostri ambularunt, calcare quoque Nos  
16 volumus, universo mundo praesentiae vivae Christi de proclamatione tantummodo  
17 solliciti.

18 3. Nostros ante oculos Ioannis Pauli Secundi Pontificis potissimum observatur  
19 testimonium. Animosiorem, liberiorem iunioremque Ecclesiam relinquit, Ecclesiam scilicet  
20 quandam quae, ad eiusdem doctrinam et exemplum, tranquille praeteritum tempus  
21 contuetur quaeque futurum aevum haud timet. Per Magnum Iubilaeum ea in novum est  
22 ingressa millennium gerens manibus suis Evangelium directum ad hodiernum orbem per  
23 iteratam lectionem magna cum auctoritate Concilii Vaticani Secundi. Iustissima quidem  
24 de causa Pontifex Ioannes Paulus Secundus Ecclesiae in Concilio illo demonstravit  
25 indicem seu ut dicitur quasi "nauticam pyxidem", qua in vasto mari tertii millennii  
26 dirigeretur (cfr Litt. Ap. *Novo millennio ineunte*, 57-58). In suo spiritali quoque  
27 Testamento scripsit: "Persuasum mihi habeo advenientes homines diutius etiam  
28 quaedam sumptuosos ex divitiis illis quas hoc Concilium saeculi vicesimi nobis est  
29 elargitum" (17.III.200).

30 Nos quoque propterea munus ingredientis quod est proprium Successoris Petri, firmam  
31 certamque voluntatem declarare volumus Concilii Vaticani Secundi continuandi  
32 executionem, Praegredientibus Decessoribus Nostris, atque in fideli perpetuitate duorum  
33 milium annorum Ecclesiae traditionis. Hoc ipso anno conciliaris congressionis conclusae  
34 recoletur memoria anniversaria quadragesima (die octavo mensis Decembris anno  
35 millesimo nongentesimo sexagesimo quinto). Annorum decursu Concilii Documenta  
36 hodierni temporis haud amiserunt vim; immo eorum doctrina pro novis Ecclesiae  
37 praesentisque societatis globalizatae, ut aiunt, postulationibus admodum evadit apta.

38 4. Quadam cum significatione Noster Pontificatus incohatur, dum peculiarem Annum  
39 Eucharistiae dicatum vivit Ecclesia. Nonne provida in haec temporum convenientia  
40 indicium quoddam est percipiendum, quod ministerium notare debet cui sumus vocati?  
41 Eucharistia, vitae christianae cor ac Ecclesiae evangelizantis fons, necessario  
42 permanentem mediamque partem constituit et fontem petrini ministerii, Nobis commissi.

43 Eucharistia continenter Christum resuscitatum efficit praesentem, qui nobis pergit se  
44 tradere, nos vocans sui Corporis Sanguinisque ad mensam communicandam. Ex eius  
45 plena communione aliud quiddam Ecclesiae vitae oritur, communio videlicet in primis  
46 inter omnes Christifideles, nuntiandi Evangeliique testificandi munus, in omnes,  
47 potissimum in pauperes parvulosque, caritatis ardor.

48 Hoc anno idcirco singulari modo celebranda erit Sollemnitas *Corporis Domini*. Praeterea  
49 media pars Eucharistiae erit mense Augusto in Die Mundiali Iuventutis Coloniae et mense  
50 Octobri in Coetu Ordinario Synodi Episcoporum quae versabitur in argumento:  
51 "*Eucharistia vitae ac missionis Ecclesiae fons et culmen*". Ab omnibus propterea rogamus

1 ut proximis mensibus amorem pietatemque erga Iesum in Eucharistia multiplicent ac  
2 fortiter et luculenter fidem suam declarent in realem Domini praesentiam, imprimis per  
3 sollemnitatem et rectitudinem celebrationum.

4 Id peculiarem in modum a Sacerdotibus postulamus, quibus nunc magnus Nostri animi  
5 affectus dirigitur. Sacerdotium quippe ministeriale in Cenaculo una cum Eucharistia  
6 enatum est, quemadmodum saepenumero confirmavit Decessor Noster Ioannes Paulus  
7 Secundus, veneratae memoriae. "Sacerdotalis existentia peculiari titulo «eucharistiam  
8 formam» habere debet": sic in novissima Epistula in Feria V in Cena Domini scripsit  
9 (n.1). Ad id propositum multum confert ante omnia celebratio quotidie devota sacrificii  
10 eucharistici, quod est veluti centrum vitae ac missionis cuiusque sacerdotis.

11 5. Nutriti atque sustentati Eucharistia ipsa catholici necessario se impelli sentiunt ad  
12 plenam illam unitatem quam in Cenaculo Christus tam vehementer exoptavit. Petri itaque  
13 Successor se debere novit recipere hoc supremum Magistri Divini desiderium in se et  
14 quidem peculiari modo. Etenim officium illi est concreditum confirmandi fratres (cfr *Lc*  
15 *22,32*).

16 Plena propterea conscientia ineunte ministerio suo intra Ecclesiam Romanam quam  
17 Petrus suo irrigavit sanguine, hodiernus ipsius Successor accipit tamquam primarium  
18 quoddam munus ut laboribus nihil parcens det operam restituendae plenae visibilique  
19 unitati omnium Christi discipulorum. Haec est eius voluntas, hoc ipsius etiam obstringens  
20 officium. Sibi enim conscius est, ut hoc obtineatur, non sufficere bonorum sensuum  
21 declarationes. Solida opera postulatur quae animos penetrent atque conscientias  
22 excitent, unumquemque ad illam interiorem conversionem permoventia quae est  
23 fundamentum omnium progresuum in oecumenismi via.

24 Per necessarius est dialogus theologicus pariterque poscitur investigatio causarum  
25 historicarum in quibusdam consiliis iam pridem captis. Magis tamen urget illa "memoriae  
26 purgatio" totiens a Ioanne Paulo Secundo commemorata, quae sola homines disponere  
27 potest ad plenam Christi veritatem. Coram eo, Supremo videlicet Iudice omnium  
28 viventium, quisque nostrum sistere debet conscius se aliquando rationem reddere ei  
29 debere omnium quae fecerit et omiserit de permagno bono plenae et visibilis unitatis  
30 omnium eius discipulorum.

31 Hic Petri Successor illa interrogatione patitur se etiam in prima persona interpellari  
32 paratusque est ad ea omnia efficienda quae potuerit ut principalem oecumenismi causam  
33 promoveat. Decessorum suorum vestigiis ingressus plane provehere in animo habet  
34 omne inceptum quod opportunum videri possit ad consortium et consensum adiuvandum  
35 cum diversarum Ecclesiarum et Communitatum ecclesialium legatis. Ad eos immo vero  
36 etiam hac data opportunitate fervidissimam suam mittit in Christo unico Domino  
37 universorum salutationem.

38 6. Hoc temporis momento repetimus nostra memoria inestinguibilem experientiam quam  
39 omnes habuimus in morte et exsequiis Pontificis complorati Ioannis Pauli Secundi. Circa  
40 exuvias mortales eius in nuda terra repositas Capita Nationum conglobata sunt, homines  
41 cuiusvis socialis ordinis ac praesertim iuvenes in memorabili affectus et admirationis  
42 amplexu. Fidens ad illum respexit orbis totus. Multis quidem isa est haec intenta  
43 communicatio, propagata usque ad orbis fines per communicationis socialis instrumenta  
44 veluti chorus ad Pontificem directus et auxilium expetens pro hominibus nostri temporis  
45 qui dubiis timoribusque conturbati sua interrogant de aetate ventura .

46 Ecclesia horum dierum in se conscientiam renovare debet sui officii hominibus iterandi  
47 vocem eius qui dixit: "*Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulabit in tenebris,*  
48 *sed habebit lucem vitae*" (*Io 8,12*). Suum ideo ministerium suscipiens Pontifex novus  
49 probe intellegit opus suum esse ut refulgere sinat coram viris ac mulieribus hodiernis  
50 Christi lucem: non suam, verum Christi ipsius lucem.

1 Haec omnia cogitantes appellamus omnes, etiam illos qui alias sequuntur religiones vel ui  
2 solummodo responsionem conquirunt interrogationi fundamentali de existentia humana  
3 necdum eam invenerunt. Simpliciter atque amanter omnes alloquimur ut iis confirmemus  
4 Ecclesiam velle cum illis dialogum apertum sincerumque componere dum verum  
5 quaeritur hominis ac societatis bonum.

6 A Deo flagitamus unitatem ac pacem hominum familiae et declaramus catholicos omnes  
7 paratos esse ad operam adiutricem suam conferendam in verum progressum sociale  
8 qui dignitatem omnis hominis revereatur.

9 Viribus Nostris non parcemus neque studiis ut magnae spei dialogum prosequamur a  
10 Nostris Venerabilibus Decessoribus inchoatum cum diversis culturis ut ex mutua  
11 comprehensione condiciones melioris venturi temporis omnibus oriantur.

12 Nominatim cogitamus adolescentes. Ad eos qui fuerunt interlocutores praecipui Pontificis  
13 Ioannis Pauli Secundi extenditur peramanter amplexio Nostra, cum exspectamus, si  
14 placuerit Deo, dum eos Coloniae conveniamus proximo nempe Mundiali Iuventutis Die.  
15 Vobiscum - carissimi adolescentes - qui estis futura aetas et Ecclesiae totiusque mundi  
16 spes, pergemus colloqui et exspectationes vestras exaudire unde possimus adiuvere vos  
17 ad altius usque Christum viventem cognoscendum qui sempiternus est Iuvenis.

18 *7. Mane nobiscum, Domine!* Invocatio haec, quae argumentum principale efficit Epistulae  
19 Apostolicae Ioannis Pauli Secundi pro Eucharistiae Anno, est etiam precatio quae sua  
20 sponte Nostro surget ex animo, dum comparamus Nos ad ministerium illud ncipiendum in  
21 quod Christus Nos advocavit. Ei Nos, sicut Petrus, quoque fidelitatem Nostram sine ulla  
22 condicione promissam renovamus. Ei uni servire cogitamus Nosque totos eius Ecclesiae  
23 ministerio devovere.

24 Ut haec suffulciatur promissio maternam deprecationem Mariae Sanctissimae invocamus,  
25 cuius in manibus tum praesens tum futurum tempus Personae Nostrae atque Ecclesiae  
26 reponimus. Intercedant deprecatione pariter sua sancti Apostoli Petrus et Paulus,  
27 ceterique caelites universi.

28 His cum affectibus vobis, Venerabiles Cardinales Fratres, singulis qui huius ritus sunt  
29 participes nec non omnibus qui per televisionem et radiophonium sequuntur, amantem  
30 Nostram Benedictionem impertimur.